



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Symbola Trinitatis, Id Est Trinitatis diversarum rerum, ex
Veteris ac Novi Testamenti Scripturis, Historijs &
exemplis; nec non congruentioribus rerum naturalium
similitudinibus conscripta ...**

Duplan, Theodore

Ruraemundae, 1663

7. Tres sunt, qui testimonium dant in cælo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12221

Jure rogas, ostende Patrem, meritòquæ Philippe
Sufficit hic nobis (a) sufficit omne bonum,

(a) Dat seipsum nobis Deus, & sufficit nobis. Nolite timere inopiam, si Deus se det nobis, sufficit nobis. Si dives Deum non habet, quid habet? Beda 1. Cor. 2. & alibi, super illud Philippe qui videt me videt & Patrem: non quòd ipse sit & Pater & Filius, quòd in Sabellianis, qui vocantur etiam Patri-pastiani, catholica fides damnat, sed quòd tam similes sint Pater & Filius, ut qui unum norit, ambos noverit, Sicut de duobus simillimis dicimus: vidisti illum? vidisti hunc: nam nisi duo essent Pater & Filius, non diceretur si cognovissetis me & Patrem meam cognovissetis &c.

SYMBOLUM 6.

Cum venerit Paracletus quem ego mittam a Patre meo, ille testimonium perhibebit de me. Ioan. 15.

Lapsus in hunc orbem, veneris, cum venerit, os for
Spiritus, intactæ mentis amator erit.

(a) A Patre mequæ simul mittetur, utriquæ coævus,
Testis erit vitæ cum Deitate meæ.

Doctor erit veri, falsi convictor & hostis.

Perfidia pœnas vilis Apella dabis.

(a) Pater Filium misit & Spiritus. Spiritum quoquæ & Pater misit, & Filius. Pater misit, quia scriptum est: Paracletus autem ille Spiritus, quem Pater mittet in nomine meo. Filius misit quia dixit: cum venerit autem Paracletus quem ego mittam vobis a Patre meo Spiritum Veritatis. Si ergo se invicem Filius & Spiritus mittunt, sicut Pater mittit, non subjectionis injuria, sed communitas potestatis est. Ex Ambrosio de Spiritu S. lib. 3. cap. 1.

SYMBOLUM 7.

Tres sunt qui testimonium dant in Cælo: Pater, Verbum, &
Spiritus S. & hi tres unum sunt. 1. Ioan. 5.

TEstatur Genitor charum super omnia Verbum,
Se Verbum, charus Filius, esse Patris.

Spiri-

Spiritus ignitis effusus ab æthere linguis,
 (a) Unum testatur Numen inesse tribus.
 Verior unde fides possit vel major haberi?
 Messias testis, Spiritus, atque Pater.

(a) Unde bene dicitur, unum sunt, non unus. Vide Hil. lib. 7. de Trin. Et Dion. de Div. Nom. cap. 2. Divinas personas, dicit, esse conjunctas in unum discretè, & discretas conjunctim.

SYMBOLUM 8.

Deus ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Rom. 11.
 Simile est ad Eph. 4. in istis verbis. Deus &c. qui est super
 omnia, per omnia, in omnibus.

Pincipium Pater est, perstat quo conditus orbis,
 Per quem, nì per te Nate redemptus homo?
 In quo delictum mentis, sincera voluptas,
 Pax animi? in Sancto Pneumate sola quies.

(a) Ex quo, per quem, in quo sunt omnia, trinus & unus
 Est Deus, est rerum (b) finis, origo simul.

(a) Cum dixisset Apostolus ex quo omnia &c. Trinitatem insinuasse creditur: nec tamen subjecit, ipsis gloria, sed ipsi. Pater non habet Patrem de quo sit, Filius autem de Patre est, ut sit, atque ut illi coæternus sit. Imago enim si perfectè implet illud, cujus est imago, coæquatur illi, & non illud imagini suæ &c. Ille igitur ineffabilis quidam complexus Patris & imaginis non est sine perfectione, sine charitate, sine gaudio. Illa ergo dilectio, delectatio, foelicitas vel beatitudo (si tamen humanâ aliquâ voce dignè dicitur) est in Trinitate Spiritus S. non Genitus, sed Genitoris, Genitique suavitas, ingenti largitate profundens omnes creaturas pro captu earum, ut ordinem suum teneant, & acquiescant. Trinitas hæc unus Deus ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Ven. Bedæ Rom. 11. (b) Isa. 41.